Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

de suo. Et ihs proficiebat etate et sapientia et gratia apud deum et homines. Antiphona ii. Ad Romanos.

Fratres habentes donationes secundum gratiam quam data est nobis differentes. sive prophetiam secundum rationem fidei. sive ministerium in ministrando. sive qui docet in doctrina. Qui exhortatur in exhortando. Qui tribuit in simplicitate. Qui preest in solicitudine. Qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. odientes malum. adherentes bono. caritate fraternitatis invicem diligentes. honore invicem preuenientes. Solicitudine non pigri. Spiritu feruentes. domino seruientes. spe gaudentes. in tribulatione patientes. Orationi instantes. necessitatibus sanctorum communicantes. hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus uos benedicite. et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus flere cum flentibus. Id ipsum invicem sentientes. Non alta sapientes. sed humilibus consentientes. Sancti Johannis

Et die tertia facte sunt nupcie in chana galilee. et erat mater ihu ibi. Vocatus autem et ihs. et discipuli eius ad nupcias. Et deficiente uino. dicit mater ihu ad eum. Vinum non habent. Et dicit ihs. Quid mihi et tibi est mulier. Non dum uenit hora mea. Dicit mater eius ministris. Quecumque uobis dixerit facite. Erant autem ibi lapidee hidrie sex posite secundum purificationem iudeorum capientes singule metretas binas uel ternas. Dicit eis ihs. Implete hidrias aqua. Et impleuerunt eas usque ad summum. Et dicit eis ihs. Haurite nunc et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustauit architriclinus aquam uinum factum.